

tur c. omnes, ibidem. Et hoc etiam Ratio ipsa iuadet; quia universaliter loquendo inferior non potest per se dispensare in Lege Superioris: ergo tantò minus poterit humana potestas in Lege DEI dispensare. Et quamvis Christus potuisset talem concedere facultatem Petro, & Successoribus eius; tamen de facto Christum talem potestatem Petro, & Successoribus eius contulisse non legitur: quia expediebat in Ecclesia extare principalia instituta, & precepta firma, ac solida, quæ essent prorsus immutabilia, atque ideò essent apud omnes fideles, & in omni tempore semper uniformia, ut ita firmas, & unitas Christianæ Ecclesiæ semper, & ubique appareret. Ita Masfrus cit. qu. 3. art. 2. n. 77.

122 III. Nec oppositum deduci potest ex illis verbis Christi Domini Matth. 16. quæ Petro dixit: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis; si enim quis ex his verbis velit, aliquam dispensationem in lege Christi esse possibilem in Ecclesia, posset eodem modo dicere, omnes in omni Christi lege dispensationes fieri posse, quia verba illa indefinita sunt, & universalia, nec magis unam, quam aliam dispensationem indicant esse possibilem: omnem autem Christi legem ab Ecclesia esse dispensabilem nemo sanæ mentis asserere potest. Illis ergo verbis nil aliud concessum est Pontifici, quam Jurisdictio supra homines in ordine ad absolutiorem, retentionem absolutiōnis Sacramentalis, excommunicationem &c. & hoc pacto omnes sacri Doctores, & Ecclesia ipsa, ac Summi Pontifices, verba illa intellexerunt. Ita Masfrus citat. Nec obstat, quod aliqui dicant, factam esse dispensationem in quibusdam terris ad sacrificandum in solo pane ob penuriam vini; quia hujus dispensationis nullum apparet vestigium, cum tamen ibi penuria perseveret. Cum etiam ex commissione Summi Pontificis simplex Sacerdos Sacramentum Confirmationis, & quosdam Ordines administrat, non dispensatur in Lege Christi, sed fit, quod ipse ordinavit: cum instituerit Ministrum ordinarium istorum Sacramentorum Episcopum; Extraordinarium autem etiam simplicem Sacerdotem. Ita Herincx cit. disput. 2. quest. 5.

123 IV. Nihilominus lex nova patitur interpretationem humanam, non tamen propriè Epikiam. Ita Herincx cit. Prima pars patet ex praxi Doctorum, & Ecclesiæ. Ratio est: Quia cum lex positiva DEI non sit menti inscripta quoad omnes illius circumstantias, sed debeat exterius proponi, potest sensus verborum talis Legis, sicut cuiusvis alterius legis positivæ, declarari, & explicari. Quæ explicatio erit certa, vel probabilis, prout explicanti certa, aut probabilis est auctoritas: ideòque explicatio facta à Concilio Generali, aut à Papa, est infallibilis; quæ autem procedit à privato Doctorum iudicio, est fallibilis. Secunda pars etiam patet: Quia Epikia est emendatio legis generaliter expressæ in casu, quem Legislator iudicatur non fuisse comprehensus, si prævidisset: quod in DEO locum non habet, qui omnes casus prævidit, & excipiendos exceptit.

SECTIO III.

De Lege humana.

124 ANtequam Legem humanam aggrediamur explicandam, non incongruum iudicavimus; Synopsin Juris humani, tum Canonici, tum Civilis seu Cæsarei præmittere, utpotè in quibus lex humana continetur: ut eo melius sequentia de lege humana pertractanda intelligantur. Itaque fit.

§. I. De Jure Canonico.

SUMMARIUM.

- 126 Jus Canonikum sex complectitur partes. Prima eius pars est Decretum Gratiani.
127 Secunda eius pars 5. Libri Decretalium.
128 Tertia pars est sextus Liber Decretalium.
129 Quarta pars sunt Clementine constitutiones.
130 Quinta pars sunt Extravagantes Joannis XXII.
131 Sexta pars sunt Extravagantes communes.
132 Corpori Juris Canonici additur septimus Liber Decretalium.

Jus Canonikum

Universim sex complectitur Partes.

PRima pars est Decretum Gratiani, id est, varia dicta Pontificum, SS. Patrum, & Conciliorum, collecta à Gratiano Monacho Benedictino, circa annum Christi 1151. In hoc Decreto Gratianus multa addidit de suo, vel ex Legibus civilibus, quæ non habent auctoritatem, nisi illam, quam conciliant eorum auctores, uti Suarez de Leg. l. 4. c. 5. num. 7. advertit. E contra quæ Gratianus citat dicta, vel approbata à Summis Pontificibus aut ab Ecclesia, habent auctoritatem. Hoc Decretum habet tres Partes. In 1. Parte sunt Distinctiones centum, & una, quæ subdividuntur in suos Canones, seu Capitula, & sic citantur: c. placuit, 4. dist. 16. id est, Canone, qui incipit, placuit, & est ordine quartus, in distinctione decima sexta. In secunda parte sunt 36. Causæ, quæ habent suas Questiones, & Canones, sic autem citantur: cap. conquestus, 8. 9. quest. 3. id est, Canone, qui incipit, conquestus, & est octavus in causa nona, & in hujus causæ questione tertia. Quod si fit ex Tractatu de Pœnitentia, qui inseritur in causa 33. questione tertia, & habet septem Distinctiones, citatio sic fit: c. Pœnitentes, 10. d. 3. de Pœn. id est, Canone, qui incipit, Pœnitentes, & est decimus in distinctione tertia de Pœnitentia. In tertia Parte agitur de consecratione per quinque Distinctiones, quæ in suis Canonibus divisæ sunt, sicque fit citatio: c. Relatum 11. dist. 2. de Consecrat. id est, Canone, qui incipit, Relatum, & est undecimus, in distinctione secunda de consecratione. His subjungi solent quadraginta septem Canones Pœnitentiales, qui sic citantur: Can. Pœnit. Item octoginta quatuor Canones, quos Apostolicos vocant, dicunturque collecti per Clementem Papam, & sic citantur: Can. Apost.

Secunda Pars Juris Canonici sunt Liber 27. quinque Decretalium, id est, Constitutiones, & Epistolæ Pontificum, jussu Gregorii IX. collectæ à S. Raymundo de Penafort, Ordinis S. Dominici, circa annum Domini 1234. & habent suos titulos, hi autem sua capitula: & sic citantur: c. Damnamus, de Sum. Trin. id est, capite, quod incipit, Damnamus, in titulo, de Summa Trinitate. Quandoque apponitur extra, vel X. quo significatur, quod fit extra Decretum Gratiani, sed non est opus, hoc addi; nam hoc ipso, quod nihil addatur, intelligitur esse in Libris Decretalium Gregorii IX. Glossator Decretalium est Bernardus Parmensis. Materie singulorum Librorum continentur hoc versu: Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Tertia Pars Juris Canonici est Liber sextus Decretalium, auctoritate Bonifacii VIII. compilatus à Gulielmo Ebreduensi, Berengario Biterensi, & Richardo Senensi, circa annum Christi 1297. qui dividitur in alios quinque libros respondentés quinque libris Decretalium. Libri illi dividuntur in suos titulos, & capitula, sic autem citatio addendo, in 6. v. g. capit. ut super 4. de Appell. in 6. id est, capitulo, quod incipit, ut super, & est quartum, in titulo de appellationibus in libro sexto decretalium. Glossator hujus libri est Joannes Andreas Bononiensis Juris-consultus.

Quarta Pars Juris Canonici sunt Clementine, id est, constitutiones partim editæ à Clemente V. in Concilio Viennensi, partim ejus jussu collectæ, & post ejus mortem promulgatæ à Joanne XXII. circa annum 1317. & dividuntur in 5. libros, hi in titulos, & capitula. Fit autem citatio tantum addendo Clement. ver. gr. capit. sicut, de Appell. Clement. id est, capite, quod incipit, sicut, in titulo de Appellatione, in Clementinis constitutionibus. Vel sic Clem. V. Extravag. exivi, id est, Clemens V. in Extravagante, quæ incipit, exivi: Glossator est idem Joannes Andreas.

Quinta Pars Juris Canonici sunt Extravagantes Joannis XXII. id est, viginti constitutiones editæ à Joanne XXII. quæ dicuntur Extravagantes, quia vagantur per varias materias, ultra illas, quæ in Libris Decretalium habentur. Citantur autem addito nomine hujus Papæ, v. g. Extravagante, execrabilis, Joannis XXII. id est, in Extravagante constitutione Joannis XXII. quæ incipit, execrabilis. Glossator est Zenzelinus de Cassanis.

Sexta Pars Juris Canonici sunt Extravagantes Communes, id est, constitutiones, quæ post priora omnia emanarunt à diversis Pontificibus, & dividuntur in 5. libros, hi in titulos, & capitula, sicque citantur: Extravag. unigenitus de Pœnit. & remiss. id est, in Extravagante con-

stitutione, quæ incipit, unigenitus, in titulo, de Pœnitentiis, & Remissionibus. Glossas addiderunt Joannes Monachus, & Gulielmus de monte Laudano, & Joannes Francis de Pavinis.

132 Corpori Juris Canonici aliquando reperitur adjectus liber septimus Decretalium collectus à Petro Matthæi Juris-consulto Lugdunensi. Sed hic, prout nunc est editus, non est auctoritate publica in Corpus Juris Canonici receptus, licet habeat constitutiones res ipsa obligantes, quales sunt Decreta, & Canones posteriorum Conciliorum usque ad Tridentinum inclusivè: Item constitutiones varias aliorum Pontificum: Unde ed etiam potest referri totum Bullarium, id est, volumina, quibus continentur Bullæ omnes Pontificum, quamvis vim Legis non ideò habeant, nisi aliunde constet esse authenticas, & originali suo conformes, uti rectè Plesemberg in introductione ad Jus Canonikum cap. 19. advertit.

§. II. De Jure Civili.

SUMMARIUM.

- 133 Jus Civile dividitur in quinque partes.
134 Prima pars Juris Civilis sunt Institutiones Justiniani.
135 Secunda pars sunt 50. libri Pandectarum.
136 Tertia pars est Codex novus.
137 Quarta pars sunt Authentice seu novelle constitutiones.
138 Quinta pars sunt feudorum Consuetudines.

Jus Civile

PER quod hic intelligitur Jus Cæsareum, sive collectio Legum, quibus omnes Imperio Romano subiecti dirigitur ad pacem, aliaque commoda temporalia, & publica, ceptum est colligi in ordinem circa annum 528. tempore Justiniani Imperatoris; dividitur autem in quinque partes.

134 Prima Pars Juris Civilis sunt Institutiones Justiniani, quæ sunt veluti Elementa, & Compendium totius Juris Civilis, constantque libris quatuor in suos titulos, & paragraphos distributis, & sic citantur: §. fere, Instit. de Rev. divis. id est, Paragrapho, qui incipit, fere, in Institutionibus, Titulo de Rerum divisione.

135 Secunda Pars Juris Civilis sunt 50. libri Pandectarum à Græco pan totum, & de choma, contrineo, quia continent totum Jus: aliter dicuntur Digestum, seu libri Digestorum, collecti jussu Justiniani per 37. Juris peritos, quorum tandem sexdecim labore triennali bis mille libros contraxerunt in illos quinquaginta. Primi 24. libri sunt Digestum vetus: sequentes 14. dicuntur Infortiatum. Non scitur autem satis origo, vel significatio hujus nominis, nisi, quod Phœbeus §. 2. numer. 7. dicat, fortè ideò sic dici, quia continent Leges circa Testamenta, & ultimas voluntates, quæ sunt fortissima, & irrevocabiles. Reliqui dicuntur Digestum novum. Hi libri dividuntur in titulos, tituli in Leges, Leges, si magnæ sint in Paragraphos. Pro Digestis fit hoc signum: ff. deberet autem esse n græcum, significans Pandectas, quod n per celeritatem scribendi, & abusum est conversum in ejusmodi duplex ff. quandoque etiam ponitur D. id est Digestum; quandoque DD. vel PP. id est Digesta, vel Pandectæ; unde citatio sic fit: L. si quis vi, §. Differentia, ff. de acquir. Poss. id est, Lege, quæ incipit, si quis vi, Paragrapho illius Legis, qui incipit, Differentia, in Digestis, Titulo, de acquirenda possessione.

136 Tertia Pars Juris Civilis est Codex novus, (nam antehac fuit antiquus, dictus Justinianus, qui emendatus fuit) constans 12. libris in titulos & Leges distributis, quorum tres posteriores quandoque separatim compinguntur & dicuntur Volumen. Pro Codice sunt citationes plerumque per majusculam litteram C. porrò primi novem libri citantur sine addito; pro tribus ultimis additur numerus libri, ideòque si numerus non addatur, est ex novem primis libris, ver. gr. L. in Testamento, C. de testam. id est, Lege, quæ incipit; in Testamento, in Codice, titulo de Testamentis, L. omnes profugi, C. de agricolis l. 11. id est, Lege, quæ incipit, omnes profugi, in Codice, titulo de agricolis, in libro undecimo Codicis.

137 Quarta Pars sunt Authentice seu Novelle, ad quas pertinent imprimis constitutiones 168. collectæ in 46. titulos in sua capita distributos; hi autem tituli rediguntur ad 9. collationes. Accedunt Justiniani edita tredecim, quæ etiam in sua capita dividuntur; Item Novellæ Justiniani, constitutiones Leonis, Tiberii, & Justiniani: item Suppl. Theol. Decal.

113. constitutiones Leonis quas vocant Correctorias Legum Repurgationes. Item variæ aliæ constitutiones Imperatoris, quibus in recentibus impressionibus adduntur Canones Apostolorum. Citationes sic sunt: cap. sed tamen, Auth. seu Nov. 129. de Samaritis, Col. 9. id est, capite, quod incipit, sed tamen, Authentica seu Novella 129. titulo de Samaritis, Collatione nona. Pro Edictis Justiniani apponitur littera E. & numerus capituli: pro Novellis Justiniani, littera N. I. pro Novellis Leonis, N. L. pro constitutionibus Imperatoris, C. I. reliqua vix citantur, vel exprimentur longius.

Quinta Pars Juris Civilis sunt feudorum Consuetudines, quæ constant duobus libris in suos titulos, ac paragraphos divis: Adjiciuntur quædam constitutiones Paraverici II. Item Extravagantes: ac denique liber de pace. Citatio fit hoc modo: F. vel feud. de prohib. feud. alien. per frid. §. calidis insuper. Id est, in libris feudorum, titulo de prohibita feudi alienatione, per fidericum, paragrapho, qui incipit, calidis insuper. Reliqua longius citantur. Jam fit.

QUESTIO I.

De Causa Effectiva Legis Humanæ.

SUMMARIUM.

- 140 Datur Potestas legislativa in Hominibus,
141 Quid sit Jurisdictio, & quocumplex?
142 Summus Pontifex potest ferre Leges Ecclesiasticas pro tota Ecclesia 143. & quidem Jure Divino.
144 Quinam Libri Juris Canonici habeant vim Legis?
145 Usque ad num. 148. Prælati Ecclesiæ inferiores possunt ferre Leges Ecclesiasticas pro suis subditis, jure tantum Pontificio.
148 Usque ad n. 151. Quid possint Concilia ecumenica?
151 Quid Concilia Nationalia, Provincialia & Diocesana?
152 Quales leges possit ferre Legatus & Nunnius Apostolicus?
153 Patriarcha, Archi-Episcopus, & Episcopus?
154 Quid possit capitulum Cathedralis Sede vacante?
155 Quid Abbates, Religionum Generales, & Provinciales?
156. præsertim in nostro ordine Seraphico?
157 An Abbates possint ferre leges?
158 An Collegium Cardinalium sede vacante?
159 Potestas legislativa Civilis Jure Naturæ residet in ipsa communitate.
160 Potest tamen transferri in alium.
161 Regimen est triplex, Monarchicum, Aristocraticum & Democraticum.
162 Imperator potest Leges civiles ferre pro toto Imperio, non pro toto mundo.
163 Quinam libri Juris Civilis habeant vim legis?
164 Quid possint Reges & Principes Supremi?
165 An Regina possit leges ferre pro suo Regno?
166 Quid possint Principes S. R. Imperii?
168 Summus Pontifex nequit condere leges civiles extra statum Ecclesiasticum.

ASSERTIO I.

Potestas ordinaria ferendi leges Ecclesiasticas residet in Summo Pontifice, primariò & illimitatè respectu omnium Christianorum, & quidem immediatè Jure Divino; in aliis verò Ecclesiæ Prælati residet limitatè ac respectu sibi subditorum tantum, & quidem non nisi jure Pontificio: Potestas autem ferendi leges civiles jure naturæ residet in ipsa communitate; Jure verò humano residet in Imperatore respectu Imperii, Regnorum, & Provinciarum sibi subditarum, in Regibus ac Principibus respectu suorum Regnorum ac ditionum, imò etiam in Regibus Regni herede. Est tota communis.

§. I. Potestas Ordinaria ferendi Leges Ecclesiasticas residet in Summo Pontifice primariò, & illimitatè respectu omnium Christianorum & quidem immediatè Jure Divino.

I. CUM plurimæ sint in moribus humanis, quæ Lex naturalis, & Divina positiva relinquunt inderet- minata, humanæ communitati necessarium fuit, ut per leges positivas humanas ulteriorem morum disciplinam obtineret, qua circa particulares actus dirigeretur, earumque

que metu malorum coerceretur audacia, & tunc esset inter improbos innocentia, ut inquit Iudorus relat. à Divo Thoma quest. 95. a. 1. Hanc legislativam potestatem hominibus à Deo datam frequenter contra Hæreticos testatur Sacra Pagina Proverb. 8. Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt. Roman. 13. Qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Dividitur autem hæc Potestas in Ecclesiasticam, & Civilem, seu politicam; juxta duplicem hominum communitatem: cum enim duplex sit finis; in quem homines oportet dirigi, unus felicitatis naturalis, & temporalis: alter spiritualis, æterna, & supernaturalis; ita duplex est hominum communitas; una politica, & civilis: altera Ecclesiastica: illam civilibus, hanc Ecclesiasticis legibus oportet dirigi: nam ubi non est gubernator, populus corrumpitur. Prov. 11. Quia verò potestas ferendi legem est quædam species jurisdictionis; ideo prius aliqua de jurisdictione dicemus. Itaque

141 II. Jurisdictio est potestas publica circa aliorum regimen, & gubernationem. Ita communis apud Reiffenstuel libro primo Decret. tit. 29. num. 3. Dicitur potestas publica, ad excludendam eam potestatem, quam habet maritus in conjugem, pater in filium, Dominus in servum &c. quæ est potestas æconomica, & privata. Hujus potestatis publicæ actus sunt omnes illi, qui à Superiore, quatenus persona publica est, exercentur circa subditos, quod denotatur per reliquas definitionis particularis. Jurisdictio I. dividitur in Ecclesiasticam, quæ circa causas ad Deicultum animarumque spirituales salutem pertinentes versatur, & civilem, quæ circa causas sæculares, & temporalem Republicæ gubernationem versatur. II. ordinariam, quæ cuiquam jure proprio, seu ex officio, dignitate, lege, vel consuetudine competit; & delegatam, quam quis non habet jure proprio, seu ex officio, dignitate, Lege, vel consuetudine, sed solum ex commissione alterius, cuius vice fungitur. II. In contentiosam, & voluntariam. Contentiosa est, quæ exercetur in invitum, ut puta in jus vocando, puniendo, præcipiendo, leges condendo, causas decidendo, & alia hujusmodi exercendo, quæ expediri non possunt, nisi à iudice pro tribunali sedente, seu quando inter duos, pluresque contenditur. Voluntaria est, quæ in volentes tantum exercetur, cuius actus sunt ordinare, consecrare, legitimare, dispensare, absolvere, beneficium conferre, Sacramenta ministrare, matrimonium assistere, quamvis hic actus non nisi latè loquendo à jurisdictione provenire dicatur, sicuti docet Sanchez lib. 8. disput. 21. de matrimonio. Differt autem jurisdictio contentiosa à voluntaria in hoc. I. quod illa etiam in invitos exercere possit; hæc non nisi in volentes, unde etiam nomen accepit. II. Quod illa à iudice extra proprium territorium exerceri non possit, sine expresso, vel tacito consensu iudicis proprii, ipsarumque partium litigantium: cum extra Territorium ius dicenti impunè non parcat, cap. 2. de constit. in 6. Voluntaria autem jurisdictio extra proprium territorium validè, & plerumque licitè exercetur, dispensando, v. gr. cum subditis in eorum votis, juramentis, assistendo eorum matrimonium, absolvendo à censuris, peccatis &c. Ratio est: quia, cum voluntaria jurisdictio nullum ordinarium ius processum, neque iudicem pro tribunali sedentem requirit; ideo nulla injuria iudici inferitur, in cuius Diocesi ejusmodi actus exercentur. Sicut docent Doctores apud Laym. libro primo, tractatu quarto cap. 5. num. 4. Quamquam ad vitandum scandalum, & confusionem, voluntariæ jurisdictionis actus, non publicè, quasi alienam jurisdictionem invadendo, sed fermè tantum privatim exercere oportet. His prænotatis dicimus:

III. Potestas ordinaria ferendi leges Ecclesiasticas residet in Summo Pontifice, primariò, & illimitatè respectu omnium Christianorum. Ita passim omnia Concilia, & Patres profitentur, certaque fide tenendam est teste Laym. citat. cap. 6. §. 1. num. 3. Ratio est: quia Christus Dominus imprimis Sancto Petro, & Successoribus ejus plenitudinem potestatis pro tota Ecclesia apertè promisit, & commisit Matth. 16. Tibi dabo claves Regni Cælorum, & Joann. 20. Pasce oves meas, pasce autem phrasi scripturistica denotat potestatem regendi, ut patet 2. Regum 5. ubi Deus ad David ait: Tu pasces populum meum Israel. Hæc autem potestas regendi, & pascendi, cum debeat esse stabilis, sicut stabilis est Ecclesia, ideo non solum Petro, sed etiam Successoribus eius data est. Quare Innocentius III. cap. solite, de majoritate, & obedientia inquit: Nobis in Beato Petro sunt oves Christi commisse, dicente Domino: Pasce oves meas.

143 IV. Et quidem Jure divino competit Summo Pontifici potestas legislativa Ecclesiastica, & ordinaria in totam

Ecclesiam. Ita Catholici. Ratio est: quia Summus Pontifex suam jurisdictionem, & consequenter etiam potestatem ferendi Leges Ecclesiasticas accepit immediatè à Christo Domino: ergo eam habet Jure Divino. Probatur antecedens. I. Ex testimoniis Sacræ Scripturæ modò allatis. II. Quia eam non potest accipere ab ullo homine, cum neminem in terris superiorem agnoscat: ergo illam immediatè à Christo accipiet, sicut illam accepit Sanctus Petrus. Nec refert, quod electio ad Papatum fiat ab hominibus, videlicet à Cardinalibus: quia cum legitima successio non fiat jure sanguinis, aut jure hæreditario, sed via electiva designationis; ideo Electores designant quidem personam, quæ Sancto Petro in Pontificatu succedat; non tamen conferunt ei jurisdictionem in totam Ecclesiam, quam ipse nunquam habuerunt, sed posita hac conditione potestas supremæ, & universalis jurisdictionis Neo-Electo Summo Pontifici immediatè à Christo Domino confertur: hinc fit, quod hæc potestas nequeat recipere aliquam mutationem, vel limitationem, sicut cætera potestates, quæ in hominibus resident, & ab eis conferuntur. Quare non dependet Summus Pontifex in Legislatione à Concilio, vel Cardinalibus, quandoquidem independenter ab illis fit potestas ei à Christo collata. Quod etiam patet ex praxi, & multis Canonibus, prout videre est apud Suarium libro 4. capite 3. numero 14. Accedit: quod Cardinalium dignitas non fit Pontificiæ dignitati cœva, imò fit ab ipso Pontifice instituta, adeoque juris humani; quamquam Pontifex prudenter graviora negotia non solet decidere sine determinatione Concilii, aut assensu Cardinalium. Ita Herinx de Legibus disp. 3. §. 3. n. 43.

Ex his consequitur, quinque Libros Decretalium supra recensitos, item sextum Librum Decretalium, & Clementinas, unà cum Extravagantibus Joannis XXII. & communibus habere auctoritatem Legis, vimque decisivam in judiciis: quia omnium horum librorum auctores fuere Summi Pontifices, qui, ut dictum, habuerunt potestatem Legislativam Ecclesiasticam in totam Ecclesiam. Decretum verò Gratiani universim non habet auctoritatem legis, cum Gratianus non habuerit potestatem legislativam. Quia tamen à Gregorio XIII. fuit emendatum, & approbatum, quod Canones ibidem allegati concordant cum suis originalibus, ideo meretur fidem. De reliquo illi Canones revocantur ad suam primævam auctoritatem, id est illam: quam à suis conditoribus acceperunt. Unde quando Gratianus refert Leges civiles, illæ eatenus in foro Ecclesiastico sunt observandæ, quatenus suppleant defectum Juris canonici, nec contrariantur immunitati Ecclesiasticæ. Si verò referat sententias Sanctorum Patrum hæc habebunt auctoritatem Sancti Patris debitam: si verò producat constitutiones Summorum Pontificum, vel Conciliorum œcumenicorum, hæc habebunt auctoritatem legis, utpotè à potestate legislativa procedentes.

Præter has Leges Canonicas dantur adhuc Canones, & Decreta Conciliorum tum Generalium, tum Provincialium à Summis Pontificibus approbatorum: item posteriorum Pontificum, Bullæ, ac constitutiones, quæ utique vim legis habent, cum procedant à legislativa potestate. Decisiones tamen Rot. Roman. licet Jus inter partes ipsas litigantes, non tamen faciunt Jus universale, ut docet Franciscus de Pavinis in præludio Extravagantium Joann. XXII. Quod attinet declarationes Cardinalium sacri Concilii Tridentini Interpretum, dicendum cum Patre Ludovico Engel, in collegio juris canonici, in præmio juris canonici num. 15. Eas obtinere auctoritatem legis universalis; si tres sequentes habent condiciones. Prima est, ut fiant consulo Summo Pontifice. Secunda, ut Cardinales solum declarent, & interpretentur, non verò dispensent, nisi desuper habito speciali mandato Summi Pontificis: cuius specialis mandati etiam in declaratione mentio inferatur. Tertia, ut appareant in forma authentica cum solito sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfæcti ac Secretarii ejusdem Congregationis. Qua de re videri poterit Barbosa Juris Ecclesiastici Universalis libro primo, capite quarto, numero octogesimo primo, & sequentibus.

§. II. In aliis verò Ecclesiæ Prælati residet limitatè, ac respectu sibi subditorum tantum, & quidem non nisi Jure Pontificio.

146 Ita docet praxis Ecclesiæ, & passim Jus Canonicum cap. 2. de majoritate, & obedientia, & cap. 3. de constit. in 6. & alibi. Ratio est: quia Summus Pontifex ex se solo non potest attendere, & invigilare immediatè universo populo Christiano: ergo necessarios habet subsidiarios, seu alios Prælatos inferiores, veluti sunt Archi-Episcopi, Episcopi, &c. ergo, & istis competet potestas ferendi Leges Ecclesiasticas; eaque ordinaria, utpotè annexa officio, & dignitati Ecclesiasticæ, & limitatè respectu nimirum suorum subditorum, & quidem non nisi Jure Pontificio. Ita docent Suarez lib. 4. de Legibus, cap. 4. Masrius, Herinx, Reiffenstuel, Layman, Mezger, & alii contra Vaquez, & alios. Ratio est: Quia licet ordo Episcopalis sit Juris Divini, & Christus voluerit Ecclesiam regi per Episcopos, eisque potestatem conferri, nihilominus eam non contulit immediatè per se, sed voluit conferre per suum in terris Vicarium, Summum nimirum Pontificem juxta illud Leonis Papæ serm. 3. de sua Assumptione: Si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. Cui consonat formula creandi Episcopos, quæ teste Bellarmino l. 4. de Pontifice cap. 24. talis est: Providemus Ecclesiæ tali de tali Persona, committentes ei administrationem (id est, Jurisdictionem) in temporalibus, & spiritualibus. Quam proinde Jurisdictionem (cujus pars est potestas Legislativa) Summus Pontifex limitat, ampliatur, aufert &c. secundum suum beneplacitum, eamque confert Episcopis etiam non consecratis, possetque consecratis aliquibus non conferre: confert denique Jurisdictionem Episcopalem etiam non Episcopis, v. gr. Prælati Majoribus Religionum exemptarum à Jurisdictione Episcoporum: quæ sunt aperta signa, illam in Episcopis, ac aliis Ecclesiæ Prælati provenire à Papa. Ita Herinx disp. 3. de Legibus, quest. 4. numer. 46. Nec obstat, quod Episcopi habeant potestatem ordinariam ferendi Leges; ex hoc enim non sequitur, quod eam non accipiant immediatè à Summo Pontifice; propter hoc siquidem non dicitur ordinaria; sed ideo, quod, licet Episcopi suam Jurisdictionem accipiant à Summo Pontifice tamen eorum muneri, ac officio cum potestate eam delegandi sit annexa.

147 Quare etiam Summus Pontifex peracta electione Canonica, absque confirmatione, imò etiam ante consecrationem jam habet potestatem Legislativam Ecclesiasticam in totam Ecclesiam, Canon. in nomine Domini, disp. 3. & Extravag. Quin nonnulli, de Sentent. excommunic. inter Communis. Alii autem Prælati inferiores ante confirmationem, nullo gaudent jure in re (nam jus ad rem acquisierunt per electionem) administrandi suas Ecclesias, & ferendi Leges, cap. Nostri 9. & cap. qualiter de election. & cap. Avaritia 5. in eodem titul. in 6. Ratio disparitatis est; nam Summus Pontifex Canonice electus omnem suam potestatem sive jurisdictionem recipit ab ipsomet DEO, neque in terris Superiorem recognoscit à quo confirmetur, licet nihilominus Inthronizationem, seu coronationem admittat. Secus est de Prælati Inferioribus, qui in terris Superiorem habent, nempe Pontificem, à quo confirmari, suamque confirmationem accipere debent. Ita P. Reiffenstuel in lib. 1. Decret. tom. 2. de constit. n. 55. Ex his

148 I. Sequitur, Potestatem ferendi Leges Ecclesiasticas, & quidem ordinariam, post Summum Pontificem in variis residere. In Concilio Generali, seu œcumenico (ad quod omnes Episcopi totius orbis convocantur, & comparere debent nisi impedimento Canonico præpeditantur) utpotè, quod repræsentat totum Corpus Ecclesiæ, habetque influxum autoritatis à præsentia Romani Pontificis tanquam capitis, cuius munus est Generalia Concilia convocare, præsidere, approbare, confirmare: ergo supposito, quod hujusmodi Concilium sit congregatum auctoritate Pontificia, potest statuere Leges totam Ecclesiam obligantes, dummodò accesserit confirmatio Summi Pontificis. Ita certa Catholico. Idque patet ex recepta praxi Ecclesiæ. Accedit Ratio: quia Summus Pontifex auctoritate divinitus accepta, potest extra Concilium novas constitutiones totam Ecclesiam obligantes facere: ergo etiam in Concilio.

149 Additum est notanter: dummodò accesserit confirmatio Summi Pontificis. Nam satis non est, quod Concilio. Suppl. Theol. Decal.

lium sit à Papa congregatum, sed etiam insuper requiritur ut sit ab eodem confirmatum, ex capit. significasti 4. de elect. & capit. Regula, & seqq. dist. 17. Quia nonnulla Concilia, etsi à Summo Pontifice congregata, postmodum tamen in quosdam errores inciderunt, ac reprobata sunt: ut patet in Concilio Ephesino II. per Leonem I. indistincto, nec tamen confirmato, eo quod admiserit errores Dioscori, & Euthychetis: tum Basileensi sub Eugenio IV. Congregato, ac ex parte reprobatum, ut taceantur plura alia Concilia reprobata, quæ recenset Bellarminus lib. 1. de Conciliis, cap. 6. & 7. Unde, ut acta Concilii Generalis robur suum obtineant, requiritur insuper confirmatio Romani Pontificis; quam proinde omnia Concilia, absente Papa, & Præsidentibus ejus Legatis celebrata, petere, & Pontifices dare consueverunt, ac novissimè Patres Concilii Tridentini sess. 25. in fin. per Legatos petenda censuerunt, atque obtulerunt, Navarrus Consil. 1. de constit. numer. 4. Suarez lib. 4. de Legibus, cap. 6. numer. 2. Herinx cit. n. 63. & alii.

150 Si verò Concilium sit Acephalum, & Papali auctoritate destitutum, nulla potitur potestate Legislativa, quippe carens Jurisdictione requirita. Porrò si Concilium congregetur Sede vacante, vel tempore Schismatis, potest quidem Leges universales condere, in quantum exigit temporum necessitas; quæ tamen non sunt aliter habituræ efficaciam, nisi cum à sequenti Romano Pontifice fuerint approbatæ, vel ab Episcopis Congregatis pro singulis suis Diocesium acceptatæ, in iisque promulgatæ. Ratio est: quia tale Concilium Jurisdictionem pro tota Ecclesia nec habet à Summo Pontifice, nec immediatè à DEO, cum hoc nec traditioe consistat. Aliam ergo potestatem non habet, quam illam, quæ cuilibet corpori Morali, seu communitati Jure naturæ competit, ut in defectu capitis per Principes congregatos se gubernare, & suoque bono prospicere valeat, donec caput legitimum acquisierit, Suarez lib. 4. cap. 6.

151 II. Sequitur, Potestatem Legislativam Ecclesiasticam, & ordinariam residere in Conciliis etiam particularibus pro suis particularibus respectu Ecclesiæ; nimirum in Concilio Nationali (in quo omnes Archi-Episcopi, & Episcopi, certæ Nationis, sub uno Primate, vel Patriarcha conveniunt) pro sola, & tota Natione, in Concilio Metropolitico, seu Provinciali, (quod congregatur ex Episcopis Suffraganeis certæ Provinciæ, auctoritate Archi-Episcopi, seu Metropolitanani) pro sola, & tota Provincia: Et in Concilio Episcopali, seu Diocesano, (quod congregatur ex Prælati, Pastorum, Rectoribus Ecclesiarum, Superioribus Regularium auctoritate Episcopi Diocesani) pro sola, & tota Diocesi. Ita Communis DD. Et patet ex Can. quod dicitur, dist. 16. & Can. si quis Episcopus per manus, dist. 92. ubi approbantur Canones editi in Concilio Provinciali. Item ex Can. ultim. dist. 16. &c. sicut olim, de Accusar. ubi quotannis Concilia Provincialia, & Diocesana celebrari jubentur. Idem constat ex perpetua praxi Ecclesiæ, ac pluribus ejusmodi Conciliis hætenus celebratis.

152 III. Sequitur, Potestatem Legislativam Ecclesiasticam residere in Legato, & Nuncio Apostolico pro tota Provincia, ad quam mittuntur, quia in illam habent Jurisdictionem ordinariam, eamque majorem, quam Episcopi; ut habetur toto titulo de officio Legati in 6. Item in Cardinalibus respectu suarum Ecclesiarum, c. his, quæ de Major. c. querela, quæ, de Election.

153 IV. Sequitur, Potestatem Legislativam Ecclesiasticam residere in Patriarchis, Archi-Episcopis, & Episcopis respectu suarum Ecclesiarum, & Diocesium, cap. 2. de Major. & obedient. in 6. Excipiuntur Episcopi merè titulares, & qui proprias oves non habent: hi enim potestate Legislativa non gaudent utpotè quæ consequitur officium Pastorale, non consecrationem. Hinc etiam Archi-Episcopi, Episcopi &c. illam statim exercere possunt post confirmationem, antequam consecrentur; quia statim per confirmationem confertur ipsis Jurisdictio, & consequenter potestas Legislativa, seu præcipua Jurisdictionis portio. Patriarchæ tamen, Primates, & Archi-Episcopi nequeunt condere Leges obligantes totum Patriarchatum, Primatum, aut Archi-Episcopatum nisi in Concilio Nationali, vel Provinciali de consensu Co-Episcoporum, & Com-Provincialium juxta c. nullus Prima 9. quest. 3.

154 V. Sequitur in Capitulo Cathedrali, Sede vacante, residere potestatem Legislativam Ecclesiasticam respectu suæ Diocesis. Ita docent Abbas, Felinus, Fagnanus, B 3